

278 HIST. SILVÆ NIGRÆ L. VI.

SECVLVM
XI.
„sed ut revera magni consilii angelum, cunctorum devotio cum omni
„eum reverentia & alacritate suscipiebat. Cuius dilectio illorum cordi-
„bus adeo infedit, ut eum ordinis sui patrem ac doctorem adpellarent,
„hodieque nomen & sanctitatis eius merita in benedictione commemo-
„rent.“

Monasteria
ab eo constru-
cta.
L. c. p. 803.
XXXII. Possunt hinc etiam intelligi abbates & monasteria Nigræ Sil-
væ, quibus veluti circumfunditur illa S. Udalrici Cella, quam ipse in Brif-
goico eiusdem Silvæ recessu in monasterium aptavit, quæve a suo no-
mine hodieque *St. Ulrich* dicitur. Succinctam eius historiam vernacula
lingua unacum prædicta S. Udalrici vita anno 1756. vulgavit Philippus
Iacobus dignissimus monasterii S. Petri in Nigra Silva abbas, cui ista S.
Udalrici cella, olim SS. Petri & Pauli nuncupata, Prioratus nomine sub-
est, quique publicum eiusdem Sancti cultum in hisce terris restituit.
Frustra S. Udalricum sollicitavit S. Hugo, ut extremis vitæ annis cæ-
cus, ad Cluniacense monasterium rediret. „Prosequente etenim fratrum
„suorum pio voto, (ut scribit vitæ auctor) misit venerabilem virum
„Cunonem ad eum revocandum: quatenus & misericordiam & carita-
„tem, quam apud eum sancte vivendo promeruerat, illi impenderet,
„suamque ecclesiam tanti meriti viro ac defuncti corporis pretio adornaret.
„Sed quia Dei nostri clementia pie disponens omnia, idem cœnobium
„tali patrocínio privare noluit, vir sanctus locum, quem regendum su-
„sceperat, quem vivens diligebat, quem & miraculorum gloria post
„mortem illustraturus erat, deferere humiliter recusavit. Reverso ad se
„nuntio, quum cognovisset venerabilis abbas, votum suum circa fan-
„ctum virum impleri non posse, indulgens illi siquid in eum, ut est
„humana fragilitas, deliquisset, veniam coram præfato Cunone prostra-
„tus humiliter accepit, pro se apud beatum Udalricum accipiendam,
„si vel ipse eum quoquo modo offendisset, quod & ita factum est.“
Ex quibus verbis conicitur omnino, Cunonem in Nigram Silvam ad S.
Udalricum postea rediisse.

Videtur hic is ipse fuisse Cuno, quem unacum S. Udalrico multis an-
te annis in Germaniam e Cluniaco miserat S. Hugo abbas, interpellat-
us a Lutholdo de castello, quod dicitur Rumelingen (in alio codice
perperam Limlingen) ad monasterium in sua ditioe construendum,
quum propria ipse prole careret. Considerato locorum situ placuit S.
Udalrico eiusque socio Cunoni mons Rotgeri; sed quum hiems esset,
L. c. p. 791. *reverendi seniores, ut loquitur vitæ scriptor, secularium hominum cobabi-
tationem declinantes, in speluncam quamdam a prædicto monte duobus mil-
liaribus*